Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 459
Quelle:
Copyright:

quamque piget deſcribere. Vides Congeſtorem hujus *Codicis* e Filiis Prophetarum fuiſſe, quorum Stirps nec hodie defecit.

III. *fol.* 20. *Incipit Prologus in vitam ſancte Hildegardis In Monte ſancti Roperti Pingwen. Magunt. Dyoc.* Initium: *Dominis venerabilibus ludovico et godefrido abbatibus. theodericus humilis ſeruorum dei ſeruus* &c. Perfecit is Vitam hanc a *Godefrido uiro*, ut ait, *ingenio claro honeſto ſtilo inchoatam*, diſtribuitque in *Libros* III. quorum I. vitam, II. Viſiones, III. Miracula *Hildegardis* enarrat. Atque ita praefixa eſt *Epiſtolis Hildegardis* in edit. *Colon.* 1566. 4. et etiam apud *Surium* ad d. 17. *Sept.* legitur, unde collata cum Mſ. *Bodecenſi* recepta eſt in T. V. *Actor. SS.* p. 679. a quo Exemplo parum variat Noſtrum.

IV. *fol.* 61. *Incipit ſpeculum futurorum temporum ſancte Hildegardis uirginis.* Alias *Pentachronon.* Cum Prologis *Gebenonis* Prioris in *Everbach*, ut *Codd.* DCXXXII. et aliis, quos habes in *Indice.*

V. *fol.* 86. *Dicta Magiſtri Heinrici de Haſſia de Sciſmate Eccleſie.* Carmen plusquam 800. Verſuum, cujus Prooemium:

Preſulis eckardi (de Derſch) *reuerendi Wormacienſis*
Egregii patris, plangentis deuia mundi
Sic loquitur patris ſapientes carmen ad aures
Flebile de meſto prorumpens corde loquentis.

Exemplum in Codice *Gemnic.* a *Bern. Pezio Diſſert. Iſag.* in T. I. *Theſ. Anecdot.* p. 79. repertum teſtatur Carmen iſtud ab Autore editum a. 1393. Jam igitur *Viennae*, quo a. 1379. ab *Alberto* Duce adcerſitus fuerat. Eſt porro Carmen iſtud acris Invectiva in Schiſma *Urbani* VI. et *Clementis* VII. quod *Monſtrum Babylonis* adpellatur. Ejus initium:

Heu fruſtra ſcripſi, multos dictamine movi
Proſayco, nichil eſt, quia nemo mouetur in orbe
Cogitet ut quicquam ſuper hijs, que ſcripta ferebant.
Inſultat calamus, dicit, me cur agitaſti?
Eſtque moleſta manus, quia perdidit ipſa laborem &c.

Vides vel ex his meliorem fuiſſe Theologum *Henricum*, quam Poetam. Senſa certe gravia ſunt, quae de Origine, Damnis et Modis compeſcendae hujus Sciſſionis depromit. Inter alia optat

Tollere veſanum caput unum, uel duo, quippe
Eccleſie corpus nullum vult, vel caput unum.

Petit